



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii  
In India Socij**

**Trigault, Nicolas**

**Coloniae, 1611**

III. Sacris initiatur ordinibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45183**

sibi, & suæ delectationi indulgeret. Ita omnino viri sancti, admirabili spiritualium oculorum perspicacitate, in ipsis virtutibus suis ac sanctis operibus inveniunt, quod reprehendant. Sed videamus modo, quam admirabili ratione lumen illud sub modio positum, dum maxime latere cupit, Deus super Ecclesiæ candelabrum collocarit.

## CAPVT III.

*Sacris initiatur ordinibus.*

**I**Nter eas religiosi tyrociniæ exercitationes, quas P. Simon suis præscribebat, erat alia quædam magni semper habita in Societate, atque adeò in omni benè constituta Religione momenti: suum scilicet Superiori totum animum aperire, rectè præueque facta, atque omnes hostis nostri suggestiones prodere: quod vt illis esset familiarius, etiam aliquando palàm vt fieret, vel permittebat, vel incitabat, satis gnarus hostem proditum fugere, cuius artes non sunt nisi quales à



Principe tenebrarum expectari debeant occulta. Hoc ipsum itaque quadam die in P. Simonis praesentia serio agebatur, pro se quisque se accusabat, vel remedium accepturus, vel poenam aliquam ex in nato pudore de se ipso sumpturus. cum ecce tibi Gaspar noster ad P. Simonis se pedes abiiciens, ait, importuna se & graui demonis tentatione infestari, a quo ad concionandi munus optandum sollicitaretur. Mouit ea res reliquos, sed ad risum. cui enim videri posset, Gasparem illum ita rudem, hominem externum & in lingua Lusitana, vt in caetera non deessent, infantem, posse hac tentatione pulsari videbatur Gaspari, vt & caeteris omnibus, non ferenda tentatio, tamen facile refutanda.

*Diuina  
providē-  
tia exē-  
plum.*

Sed planè mirabilis est illius providentia, qui disponit omnia suauiter, cum hac ratione, vt à vtilioribus munijs, quod secus videri poterat, ad altiora admoueretur, effectum sit. P. Simonis iudicium, quod



quod aliud tum in homine nihil  
 apparet, Gasparis, & reliquo-  
 rum iudicio commune fuit. Itaque  
 medicinam malo facturum, ut pro-  
 prio ense Goliath iugularet, con-  
 cionandi cupiditatem conatus est  
 concionando praefocare. Gaspa-  
 rem statim vicinum scamnum sub-  
 ire iubet, & qua de re velit, ver-  
 ba facere. Ille verè humilis nul-  
 lum medicinae genus subterfugi-  
 ens, ad dicendum serio aggreditur;  
 verum ita malè, ut nulli tolerabi-  
 lis saltem concio videretur; cum  
 & Lusitani sermonis penuria haesi-  
 taret, tum ea oris ac corporis esset  
 vastitate, ut ne quidem, qui pro-  
 ficere posset, iudicaretur. Percon-  
 tatus ex eo P. Simon, ecquid ipsi  
 tandem de se videretur, apertè re-  
 spondit: quamvis aliquoties aequa-  
 li, ac peiore eventu dixisset, con-  
 cionatorem se quandoque futu-  
 rum non desperare. Res mira illis,  
 quibus de eius demissione tantum  
 constabat, est visa: sed P. Simon,  
 quoniam Rectores in subditis  
 regen-



regendis, cum opus, numine afflari certum, diuini aliquid latere subodoratus, hominem ad se vocat, opinione sua doctiorem repertum domesticis officijs expedire se, & in literas incumbere iubet, ac se ad sacros ordines breui suscipiendos comparare. Admiratus plurimum decretum Gaspar; sed vt erat ad obediendum factus, ne ausus quidem est repugnare: Octo ab ingressu in Societatem mensibus iam expletis, ipsa natalis Domini noctu exeunte, iam anno Domini 1546. nou<sup>9</sup> Sacerdos primum, immò tria prima sacrificia litat: alij cum eo duo, P. Benedictus Fernandez & P. Ludouicus de Gram, Conimbricensis deinde Collegij Rector, idem insigni sua cæterorumque, vt scribitur, gratulatione & lætitia præstiterunt. Posterior etiamnum, dum hæc scribo, Pernambusci in Brasilia viuit. non licuit ei diu per P. Simonem Tyrocinij quiete frui; viri virtus & operatorum penuria breui eum in aciem eduxerunt. Et sanè videtur,

vnà



vnà cum caractere sui quoque muneris obeundi gratia fuisse donatū. Siquidem & conciones felicius eueniebant, & quidquid deerat, ingenti animarum zelo facilè compensabatur. His initijs suis ad quantam dicendi facultatem ascenderit, posterius apparebit.

## CAPVT IV.

*In Indiam destinatur.*

**P**Rimitias huius tanti spiritus, secundò post sacerdotium susceptum anno, oppida in Lusitania duo prægustarunt, Figueiro & Pedroga, Conimbrica quatuor quinqueve leucis distantia, & inde Olyssiponam euntibus ad sinistram sita. Eò P. Simon P. Gasparem ex nostræ Societatis instituto miserat: ibique doctrinæ Christianæ capita explicare, concionari, confessiones excipere, in quibus postea ita exceluit, est aggressus, tanto fructu, vt in hæc vsque tempora memoria in hominum ore perduraret. Dum istic frugem facit, Deus, qui alio tantum  
lumen